



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Decano Vlixbonensi, Priori & P. Frodiz Monacho de Alcobatia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

Tandem verò cùm dilectus filius noster G. sancti Angeli Diaconus Cardinalis, tunc apostolicae sedis Legatus, intrasset Hispaniam, eandem causam venerabili fratri nostro Episcopo & dilecto filio Archidiacono Vlixbonen delegavit: qui priorum judicium sententiam confirmantes, interdicti & excommunicationis sententias in Ecclesiis ipsas & earum parochianos latam à primis judicibus innovarunt, ac postmodum idem Cardinalis quod ab eis factum fuerat confirmavit. Quia verò nobis ad plenum non constitit de præmissis, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus recepta ab eisdem Templariis parendi coram vobis justitia legitima cautione, partibus convocatis inquiratis de prædicta sententia diligenter veritatem, & si eam inveneritis justè latam, faciatis mandari executioni, & usque ad satisfactionem à partibus per censuram ecclesiasticam inviolabiliter observari. eodem modo per omnia processuri, si forsan fratres ipsi noluerint quod stent & pareant juri caveare. Alioquin partibus convocatis auditatis causam ex integro, & ipsam appellatione remota mediante justitia terminetis; non obstante privilegio in præjudicium Colimbrien. Ecclesia per subreptionem obtento. Quod si omnes &c. duo vestrum &c. Datum Romæ &c. XII. Kalend. Iunij.

*ABBATI DE ALCOBATIA,
F. Menendi & P. Exod. monachis
Alcobatiae.*

Epist. 222.
Vi frances S.
Cunctis reverentiam & episcopalia jura Co-
limbriensis Episco-
po suo red-
date, & quod
matrix Ecclesie
Cathedralis
vocetur.
Cap. Venerabi-
li. De verbis.
ffugit.

* In tertia Col-
lezione: Vnde
qua non

Venerabili fratre nostro Colimbriensi Episcopo didicimus conquerente quod cùm fratres sanctæ Crucis monasterium de Arganil sub protectione sua nuper receperint, quod suis prædecessoribus episcopalia jura conseruerat ab antiquis temporibus exhibere, nunc quodam de Canonicis suis sine suo consensu ibi facto Priore, occasione cuiusdam privilegij à bonæ memoriae Clemente Papa prædecessore nostro veritate racita impertrati, eidem Episcopo debitam obedientiam denegat exhibere, inde sumpta occasione, quod per matricem Ecclesiam non Cathedram intellegunt, sed Romanam.* Quia verò non est nostræ intentionis ut jura fratrum nostrorum temporibus nostris indebitè minuantur, causam ipsam vobis duximus

commitendam, per apostolica scripta mandantes quatenus si aliud vobis non occurrit propter quod dictus Prior non debeat dioecesano Episcopo respondere, eum ad præstandam dicto Episcopo debitam reverentiam, sicut prædecessores sui prædecessoribus Episcopi præstiterunt, appellatione remota per censuram ecclesiasticam compellatis. Nos enim per matricem Ecclesiam, Cathedram intelligere volumus, non Romanam. non obstante privilegio in præjudicium Colimbrien. Ecclesia per subreptionem obtento. Quod si omnes &c. duo vestrum &c. Datum Romæ &c. III. Kalend. Iunij.

*EPISCOPO ET PRIORI
Elborenſi.*

Innotuit nobis, venerabili fratre nostro Colimbrien. Episcopo conquirente, quod cùm olim magna pars Colimbriensis diocesis ab inimicis crucis tenereretur invasa, bonæ memoriae Innocentius Papa prædecessor noster Lamecensem & Auriensem Ecclesiás Colimbriensi (sicut ex privilegio ejus apparat) concessit tamdiu detinendas, donec amissam partem diocesis rehabet. Cùm autem A. quondam Rex Portugalliae diocesim illam liberasset à manibus * paganorum, quandam partem ipsius dilectis filiis fratribus militiæ Templi, quandam verò monasterio sanctæ Crucis motu proprio assignavit, & in prædictis Ecclesiis Episcopos obtinuit ordinari. Ne igitur dicta Colimbrien. Ecclesia se doleat suo jure privatam, discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus vocatis illis qui propter hoc fuerint evocandi, audiatis que hinc inde duxerint propoundeda; & quod canonicum fuerit super his appellatione postposita statuatis, facientes quod statueritis firmiter observari. non obstante privilegio vel rescripto in præjudicium Colimbrien. Ecclesia per subreptionem obtento. Nullis literis veritati & justitiæ &c. Quod si ambo, &c. tu frater Episcope &c. Datum II. Idus Maij.

*DECANO VLIXBONENSI,
Priori & P. Froiz Monacho
de Alcobatiae.*

Innotuit nobis, venerabili fratre nostro Colimbren. Episcopo intiman-

Epist. 223.
Ejusdem ferē
argumenti.

* id est, Sarra-
cenorum.

Epist. 224.
Privilegium in
grave detine-


tum alterius
imperatum re-
vocatur.
Vide caput
*Cum olim pro-
pter. De privil.*

te, quod cum M. quondam Canonicus sanctæ Crucis in Episcopum fuisse Colimbrien, assumpitus, privilegium quodam de consilio quorundam Canonorum Ecclesiæ Colimbrien, monasterio sanctæ Crucis indulxit in non modicum ejusdem Ecclesiæ præjudicium & gravamen. Quia vero nobis non constat de præmissis, discretioni vestra per apostolica scripta mandamus quatenus partibus convocatis inquiratis de præmissis diligentius veritatem; & si privilegium ipsum in grave dispendium Colimbriensis Ecclesiæ videritis redundare, quod illicitè factum est, auctoritate apostolica appellatione remota legitime revocetis, non obstante privilegio in præjudicium Colimbriensis Ecclesiæ per subreptionem ab apostolica sede obtento. Datum Romæ &c. III. Non. Iunij.

DE SAZETA ET DE
Manzenera Abbatibus, & P. Frod.
monacho de Alcobatia.

Epif. 225.
Vt Ecclesia Co-
lumbiensis suo
jure & privile-
giis non spo-
lietur.

QVerelam venerabilis fratri nostri Colimbriensis Episcopi ad nos delatam accepimus, quod cum carissimus in Christo filius A. Illustris Rex Portugallie partem territorij Colimbriensis & vicinorum castrorum in loco qui Alathen vocatur, & in sua proponitur diocesi constitutus, jamdudum hominibus dederit incolendum, qui ei de regalibus responderent, fratres monasterij sanctæ Crucis in locis illis quasdam denuo Ecclesiæ construxerunt & construunt ex quibus episcopalia jura percipiunt, & reddere contradicunt; cum in suis privilegiis habeatur quod in illis tantum vilis, quas de novo ædificant, episcopalia jura valeant obtinere. Nolentes itaque prædictos fratres aliis injuriosos existere, causam ipsam vobis duximus committemus; per apostolica scripta mandantes quatenus partibus convocatis, auditias que proponentur hinc inde, & quod canonicum videritis super his appellatione postposita statuatis, facientes quod statueritis firmiter observari. non obstante privilegio in præjudicium Colimbrien. Ecclesiæ per subreptionem obtento. Quod si omnes &c. duo vestrum &c. Datum Romæ &c. VI. Kalend. Iunij.



DE ALCOBATIA ET DE SEIZA
Abbatibus, & Priori de Alcobatia.

EXposuit nobis venerabilis frater noster Colimbrien. Episcopus in nostra præsentia constitutus, quod Portugalen. Ecclesia flumen Dorij, quod Portugalen. diocesim à Colimbrien. separat, & ab antiquo fuerat certus terminus utriusque, transgressa, magnam partem Colimbrien. diocesis occupavit contra compositionem à bonæ memoria Bosone quondam Cardinale tunc apostolica sedis Legato apud Burgum in Concilio factam, & per sedem apostol. postmodum confirmatam. Volentes igitur Colimbriensi Ecclesiæ in suo jure adesse, discretioni vestra per apostolica scripta mandamus quatenus venerabilem fratrem nostrum Portugalen. Episcopum ad restituendam illam partem diocesis, quam præter justitiam detinet occupatam, cum fructibus inde perceptis, monitione præmissa, per censuram ecclesiasticam, sicut justum fuerit, appellatione postposita compellatis. Nullis literis veritati & just. &c. Quod si omnes &c. duo vestrum &c. Datum Idibus Maij.

DE SAZETA ET DE
Manzenera Abbatibus, & F. Menendi
monacho de Alcobatia.

INsiuavit nobis ven. fra. noster Colimbrien. Episcopus quod cum illustris Rex Portugallie fratribus sanctæ Crucis apud Castrum de Leirena in una tantum Ecclesia jus concesserit patronatus, inconsulto diocesano Episcopo in eodem loco construere alias motu proprio præsumperunt, quas & per capellanos conductarios regunt, & in nullo proprie volunt diocesano Episcopo respondere. Eisdem etiam Ecclesiæ privilegiis suis fecerunt inscribi, cum ab episcopali jure nunquam fuerint de sensu Episcopi liberatae. unde totum jus episcopale in oppido nominato sibi præsumunt temere vendicare. Quia igitur nobis constare non potuit de præmissis, discretioni vestra per apostolica scripta mandamus quatenus partibus convocatis &c. quod justum videritis super his appell. postposita statuatis &c. non obstante privilegio in præjudicium Colimbriensis Ecclesiæ per subreptionem obtento. Quod si omnes &c. duo vestrum. Datum &c. VI. Kalend. Iunij.

ROTHO-

Epif. 216.
Ejusdem art.
menti cum pre-
cedenti.

Epif. 217.
Ejusdem art.
menti.